

res, ut qui Adulteros potius & Fornicatores ad sacros admit-
tunt ordines, quam qui ad secunda vota transferunt; benedi-
ctionem item Ecclesiasticam Deuterogamis denegant, evidentes
dari rationes nequeunt: Si enim conceduntur Laicis & per
se sunt honestæ, cur arcent ab iis Clericos? Si prohiben-
tur Clericis & per se sunt turpes, cur permittuntur
Laicis?

XXV. De Polygamia simultaneâ aliare est quam qui-
dem Anabaptistæ superiori seculo in Ecclesiæ scenam reducere sunt
conati, attamen nequaquam Luthero Magistro, quod calumnia-
tur Jesuita, verum suâ malitia & affectatâ usi insitiâ. Qui
si primi Conjugij institutionem Gen. 2, 22. respicerent, ad quam
ipsam Christus nos revocavit, Matth. 19, 4. Marc. 10, 7. Si
Apostolum audirent, Rom. 7, 3. 1. Corinth. 7, 2. & 4. 1. Tim. 3, 2.
Tit. 1, 7. Si ipsum Jus naturale, saniorum etiam gentium te-
stimonia, & leges Magistratum honestas quæ propter consci-
entiam violandæ non sunt, Rom. 13, 1. evolverent. Si deniq;
Polygamie originem atq; incommoda inde progerminantia con-
siderarent, se ipsos statim & secum Turcas, omnesq; alios popu-
los abominarentur, qui contra interdictum divinum sive libi-
dinis ergo, sive Patres V. T. imitabundi plures ducunt uxores.

XXVI. Nam etsi illi in V. T. Polygami fuerunt, tamen ex-
empla ista extraordinaria, quæ alij dispensationi, alij tolerantia
divine tribuunt, institutioni primæve conjugij nequaquam præ-
scribere novimus. Vide Chemnitium parte 2. Exam. Conc. Trid.
de Matrimon. c. 2.

XXVII. Præterea illicita est & abominabilis Mulie-
rum permutatio, itemq; Pellicatus, quando vel uxor ut merx
aliis utenda prostituatur, aut ut usuraria scortatione sceleranda
exponitur; vel præter uxorem alia ad commixtionem corporis,